

Q. D. B. V.

RELIGIO

CURIENSIMUM,

PRISTINA PAPÆA,

ejus delineatione ad

**ACTUM ORATORIO-VALE-
DICTORIUM**

in

Illustri Curiano

d. XVI. Mart. 1687 post Sacra matutina habendum,

in simulque

Patienti Jesu probandam,

Pientissimi Cultus ac devotionis Religionem,

Curianæ Urbis Proceres

invitat

M. JO. CHRISTOPHORUS LAYRIZ,

Gymn. Patrii Rector.

Literis Minzelianis.

(18)
Pio ac Cordato **L**ECTORI salutem!

Magnam RELIGIO Numen est, tam sanctum ac venerabile, ut ad debitum sui cultum omnes, vel efferas etiam ac barbaras gentes, obliget. Ut enim vites arboresque immmani brumæ violentia defrondatæ, foliorum decores, florum gemmas, cæterumque splendorem omnem non recipiunt, priusquam lucidissima cæli lampas, Sol, intra veris hujus exordientis signa regressus, vires rerum naturæ novas infundat; Sic nulla usquam efflorescit Respublica, nisi quæ sub Numinis divini metu, frena effusæ aliàs in licentiam turbæ moderante hujus ipsius Religionis sole, continetur. Ei enim, qua lacteo Pietatis Magistro *LACTANTIO L. V. Instit. c. 22.* teste, nihil in rebus humanis præstantius, jure tribui potest, quod elegantissimus *CLAUDIANUS* inter sui Honorii laudes 4. de quarto Consulatu ejus Panegyri reposuit, cum cecinit:

- - - *Tum conspicuus grævusque feretur
Sub te teste labor.*

Tanti igitur fructus memores, pii Majores nostri, primi *CURIA-NÆ* Urbis incolæ, non absque Deo & Religione vixerunt, verum ex quo in unum corpus coaluerunt, id quoque dederunt operam, ut solenni aliqua cultus specie Deum sibi haberent placatum, rebusque & ceptis suis, imo salutem faventem atque propitium.

Possem hic, imò & deberem quidem, dum de Antiqua Urbis nostræ Religione, ducente sic Tabulâ *Ἐπισημασική*, dicere ingredi, altius exordiri, & tum ab ovo, quod ajunt, repetere, quæ universæ Germaniæ nostræ, ex quo ejus in veterum memoriis, aliqua, confusa licet satis, facta mentio, plusquam cim meria in rebus divinis fuerit cœcitas, & quam inanis illorum extiterit superstitio, ad complures nō tantum Deastros, sed innumeras etiam penè creaturas, progressa, tum etiam prolixius paululum commemorare, quæ harum regionum cum primis fuerit deturpata satis facies, in quantum ea ex vicinarum speculò reflexa, hodiernum est nota, & Verum enim verò, ut intra brevitatis me terminos contineam, &

scopi

(19)
scopi urget ratio, & ne actum agam, limatissimi iudicii virorum
labor me jubet, qui quantum in hac caligine penetrandum fuit,
omne tulisse punctum dici omnino merentur, suntque præ ceteris
Philippus CLUVERIUS in Germania Antiqua, VOSSIUS de Idololatria,
Elias SCHEDIUS de Diis Germanorum; Paulus HAGENBERG,
Germaniâ Mediâ, & quod nostras cum primis concernit oras Christi:
Phil. à WALDENFELS, in selectis Antiquitatib⁹; M. Joh. Geor-
gius PERTSCHIUS, in Originibus Voilandiaë & in hac Urbis
Bonsideliaë, & novissimè omnium Patronus noster singulariter
colendus, Dn. Jo. Gvolfg. RENTSCHIUS, in habita de Antiqua Ter-
rarum nostrarum Religione, Panegyri publica, quam suo tempore
tandem, Patriæ bono publicæ datum iri luci, nullus dubito.
Ad ea ergò tantùm ascendimus tempora, quibus conditam no-
stram Urbem superiùs adstruximus, Seculi sc. XI. finem, & XII.
initium, quæ, quam deformatam Ecclesiæ facièm viderint, paucis
prælibandum. Scilicet adulta tunc erat Romanorum Pontifi-
cum Auctoritas, illique, in plenum nunc arrecti imperium, non
solùm Ecclesiam Germanicam pro lubitu disponunt deformant-
que, sed & ipsum Imperium gravissimis agitant procellis, nundi-
nationibus foedè exponunt, sacra pariter & profana bello civili
turbant. Tenebat tunc sedem Romanâ monstrum illud Pontificis,
Ecclesiæ excidio, ipso orco dimissum, GREGORIUS VII, qui
ferali Germanorum Principum discordiâ, quam alebat, inflam-
matus, imis summa miscere, Cæsarem ipsum novò exemplò ex-
communicare, mox regnò imperioque privare ausus est, post
quod facinus maxima illius & omni seculo tremendæ veneranda
dæq; Romani Pontificis, & infinitæ penè potestatis jus in omnem
Christianum orbem manavit. Oppressa sic Cæsaris potestate,
Uxores contubernio sacerdotum perpetuò proscriptæ, pro qui-
bus quò Germaniæ Clerus pugnabat fortius, ut Legatis Romanæ
sedis, Archi-Episcopo Moguntino in Erphordiana, Curiensi E-
piscopo in Moguntina Synodis, vitæ quoq; discrimen sit inter-
minatus, tantò in cætera novorum rituum præcepta, quæ quoti-

(26)

die ex Italia afferebantur, consensit facilior atque promptior. In-
tenderunt etiam Ecclesie caliginem neglecta studia literarum,
Impanationis & paulò post *Transsubstantiationis* impiè auditæ vo-
ces, regnū deposita sede puriori Theologia, exorsa est Scholastica,
variæ opiniones de excidio Orbis, vaticinia Sacerdotum, quo-
rum intererat, plebem pavorib⁹ agitare, ad construenda monaste-
ria, nuncupanda vota adigere, undiqve exaudiebantur subdolè.

Nec meliora, sed deteriora seculum quod inter hæc iniit,
exhibuit duodecimum, quo Germaniæ Ecclesia penitus à
Regis & Principis sui imperio detracta, & in Romani Pontificis
concessit potestatem. Extortum Imperatori magnum illud vi-
rium regiarum robur, quo tacitum ante in omnes jaçtabat imperi-
um, Collatio Episcopatum & Abbatiarum, subtracta hoc ipso
Nobilium studia, & cum locus referendæ gratiæ in aula ampliùs
non esset, optima ingenia, venandis opulentis Sacerdotiis in Mo-
nasteria abstrusa, sicqve in illo Pontificum imperio purior doctri-
na tandem penitus defecit, ac omnis Pietas inter externa rituum
simulacra, & nova Pontificum edicta stetit & simul obmutuit.
Hinc crumenimulgæ Præsules alii Purgatorium, & Limbum Pa-
trum excogitarunt, alii Osilegia Reliquiasqve, magnâ superstiti-
one commendarunt, alii in visiones & somnia fœculenti, vatici-
nandi plebeculam libidine distenderunt, & ad donationes pias,
Pontificis obsequium, sacrum mentium stuporem impulerunt.
Interea munia sacra nundinationibus fœdè exposita, & per frau-
des pecuniamqve honores quæsi, quos olim sola continentia
probitasqve impertiverunt.

In hæc igitur tam dura & infelicia, in hæc ab omni puri-
oris doctrinæ pietatisqve, ac integritatis cultu derelicta fere tem-
pora, incunabula nostræ inciderunt Curie, ex quibus facilè de
Statu Religionis Majorum nostrorum judicandum. Quamvis
enim illorum animi atqve studia ad genuinum pietatis cultum
inclinarent, non poterant tamen se ex ista temporum caligine
emergere, sed quos ductores nacti erant, cœcos sc. & papalium
frau-

fraudum aut ipsos ignaros, aut studiosos Architectos, eos promississimi omnium sequebantur. Et hinc est, quod tot majorum nostrorum superstitiones, harumque vestigia liquido adhuc deprehendamus, quarum aliquas recensere susceptæ operæ fert ratio.

Merentur autem huc cum primis referri, tot Templorum & Sacellorum constructiones, dedicationesque, quorum quamquam quatuordecim diversa numero extiterint, septem scilicet intra, & septem extra urbem, id quod pro mediocritate hujus nostræ meritò mireris, & devotum rebus divinis inde colliges animum, regiæ licet viæ in tam adultò omnium errore haut insistentem, nullum tamen invenies, quod ipsius Dei aut SS. Trinitatis præ se ferat nomen, sed omnia aut Angelos, aut Sanctos, & cōficta etiā Numina sistunt Patronos. Solius S. Sepulchri sacellum, si fortè excipias, in tumulati Servatoris nostri memoriam excitati, non tamen sine admisa multa εὐλοφροσύνης vanitate. Templà ipsa excipiunt fundata Monasteria, & otiosorum monachorum moniliumque claustra, in quibus ea se hominum genera alere credebat simplex antiquitas, quæ vitæ sanctitate, precumque ardore, non sibi metipsis tantum, sed universæ civitati æternam ex condigno penitus promererentur salutem. Et tam altè mentibus hæc honorum operum infedit opinio, ut in hunc finem nullis pepercerint sumptibus, quibus illos ad missas, preces & vigiliis in animarum suarum salutem devinciri posse crediderunt. Si hinc adducere vellem liberales illas Templorum dotationes, ad sacra destinatas donationes, prædiis, agris, pratis, piscinis, sylvis, decimis & aliis constantes, moles multum has excederet pagellas, & Widemannus noster dimidius ferè mihi foret exscribendus. Vel obiter enim illum inspicienti patebit: Ipsos Serenissimos Marchiones Brandenburgicos, Comites item Illustrissimos Ruthenos t. r. Weiden-
ses, & Orlamundanos, nec non Nobiles de Rabenstein, Utzenhofen, Tepen,
Hirschberg, Zedwiz, Kozau, Dobeneck, Pölnitz, Sparnberg, Faltisch,
Lüchau, Murring, Thandorf, &c. honestos itidem cives Schulfeld/

Sattler/Parwen/Tobensfelder/Körner/Tortschen/Schlosser/
 Auer/Beilsdörffer/Erbesmänner/Königsdörffer/Mordeißen/ſ.
 & denique omnes illos, qui vel mediocriter in re lauciori consti-
 tuti, munificentissimos liberalissimosq; in hac re se exhibuisse. At
 tantum abest, ut Misfarū Mystæ, Sacrificuli, Monachi, Moniales
 quoq; benè his donationibus ingenuis sint usi, ut luxu potius, illi-
 citaque Venere, aliisque nequitiis, quæ nimix satietatis degene-
 res sunt filix, foedisimè se polluerint. Ut fidem verbis faciam,
 vel unum aut alterum è Chronicis nostris duxi in medium affe-
 rendum. Scilicet ad Annum 1505. refert *WIDEMANNUS*,
Cunradum quendam *Erbesmannum*, Ministrum Matutinum,
 (*Frühmesser*) Dominicâ post Conversionis Pauli, *Vicum Königs-*
dörferum, lethali capiti ejus inflicto vulnere interfecisse; Tres alios,
 ejus in munere socios, eodem anno sacrum Quadragesimæ
 tempus in lupanari exorfos, tandemque de præda discordes fa-
 ctos, ad mutua profiliisse verbera, officio quoque re compertâ
 hinc moti. Et quid aliud quæso arguit elegans illa, si Diis pla-
 cet, Monachi cujusdam nostratis Gratiarum actio, cujus ad
 Annum 1513. meminit, quâ Prælectiones suas in libellos Physi-
 cos Aristotelis Fratibus habitas, significantissimò hoc obigna-
 vit epiphonemate: *DEO Gratias, qui nos satias, de labore rusticorum, quo-*
rum utimur uxorum, per omnia Secula seculorum; aut facinus istud, quò
 Anno 1478. lasciva quædam monialis, claustrî relinqvendi desi-
 derio tacta, ut commodiùs rem haberet confectâ, clam supposito
 igne, monasteriù incendit, quò sic portis ad restringendū incen-
 dium patefactis, & undique concurrentibus civibus, illa, quòd fa-
 ctum etiam, tutiùs aufugeret. Sed misera ædes igne celeriter
 concepto latius fudit incendium, quòd contiguum simul Francis-
 scanorum monasterium cum templo, & vicinas aliquot domos
 depavit. Nimius verò hic fio, cum alia Majorum nostrorum su-
 perstitutionis argumenta adducenda essent plura, ex æternorum
 ignium gentili ferè consecratione, multorum altarium dedicati-
 one,

one, impientissima Campanarum inscriptione, maximè ridicula
 Quadragesimæ celebratione, enormi cum primis Indulgen-
 tiarum amore, quibus à pessimis illarum Nundinatoribus turpis-
 simè elusi, Peregrinationum item ad sacra, & confictis miraculis
 clara tunc temporis loca, Reginoburgum præ ceteris, zur schönen
 Maria/ad Sanctum Michaëlem in Angliam, imò & Compostellam
 usque ad S. Jacobum, ardentissimo amore, probatu facillima; qua
 posteriori tamen, ut postea supersederent, Confraternitatem S. Ja-
 cobi, die Brüderschaft zu S. Jacob, in hac ipsa Urbe, A. 1487. vi-
 giliis Jacobi inierunt, & in Templo Michaëlis ejusque sexta Ca-
 pella (quæ nunc Mausoleum, Illustrissimorum Liberorum Ru-
 thenicorum, Heinrici secundi Senioris lineæ, Curiensium olim
 per 22. annos Capitanei eminentissimi, continet) aram Sancto di-
 cto statuerunt, ejus imaginem nitido ornatu impositam, missa a-
 liove cultus genere, coluerunt, adventantes quoque aliunde Ja-
 cobi fratres, dicatâ in eum finem domo, lectisque inibi dispositis,
 liberaliter excipientes. Hæc talia aliaque sunt plura, quæ affatim
 nos edocent, caligasse quidem & rectâ viâ multum aberrasse Ma-
 jores nostros, ita tamen, ut qui meliorib⁹ ducibus destituti, meli-
 ores quoque ignorarent Deos, sub Papatu viverent, Papisticè ta-
 men *ex προαιρέσει* haud agerent. Et sunt in hac quoque ignoran-
 tium turba itentidem ferè inventi, qui aliqua veritatis luce per-
 culsi, crassioribus reclamarunt erroribus, quanquam non sine
 præsentissimo vitæ periculo, si quæ talia, ad supremum Bamber-
 gensis Episcopi, (cujus Diœcesi & Inspectioni nostra quoque hæc
 Urbs, cum universa circumjacente terra, fuit subjecta, quique sacra
 hujus loci per Parochum seu Plebanum, vel ejus Vicarium guber-
 navit) aut Papæ fidelium Tribunal emanarent.

Cum enim Anno 1489, Pontifex Innoc. VIII. auri argenti-
 que Germanici amore, Legatum à latere, Raymundum Payraudi,
 Gallum, Romanum Archi-Diaconum, & Theolog. Doctorem, per
 hanc universâ terrâ dimisisset pro concedendis indulgentiis ple-

nisissimis, Jubilæi nomine conceptis, hanc imposturæ indignita-
 tem ægre tulit D. Theodorus Morüngerus Bambergensis, Her-
 bipolensis & Eystedensis Collegiatarum Ecclesiarum Canoni-
 cus, Plebanus postmodum Curianus, hinc Norimbergam se con-
 tulit, ubi tunc sangvisuga degebat, Bullæque Pontificiæ palam
 contradixit, & invalidas Pontificis Indulgentias animabus in
 Purgatorio pronunciavit; sed pedem Norimbergâ retrò ferens
 Morüngerus, instinctu Nundinatoris, à subditis Marchionis Fri-
 derici capitur, vulneratusque Cadolzburgum deducitur, ubi de-
 nunciata ipsi Pontificis Romani captivitate, Marchioni plenariò
 traditus, qui novem integros annos in arce Rauhenculm illum
 captivum detinuit; tanti scilicet ducebatur, obdurato hoc ad Pon-
 tificis obsequia seculo, vel mus sitasse contra ejus impien-
 tissimè sus-
 cepta. Et hinc est, quod neminem legas vel verbum oblocu-
 tum, cum Anno 1516, mense Februario, alius quidam Deceptor;
Franciscus Tripontinus U. J. D. Sacri & Apostolici, (sic ipse sibi eude-
 bat Titulos,) Hospitalis Sancti Spiritus, in Saxia de Urbe, Auctori-
 tate Apostolica ad partes Alemanniæ Commissarius, emunctâ
 nummis totâ fere Germaniâ, ad nos quoque diverteret, simili do-
 lo nos deceptorus, blasphemiasque penitus Indulgentiales, pro de-
 functis pariter & vivis, ad quævis nefandissima scelera, elargire-
 tur, in eum finem, ut pecuniam colligeret, pro alendis Itatorum In-
 fantibus, ut vocabat, Projectis (*Sindel-Kinder*) quasi nostra
 Germania alendæ Itatorum scortationi tantum esset nata, & eo
 ipso opere coelum promereretur. Non pigratus *WIDEMAN-*
NUS exemplum Indulgentiarum, pro vivis pariter & defunctis,
 item Formam absolutionis impien-
 tissimam Diabolici hujus ho-
 minis, quâ usus, unâ adscribere & Chronico suo inferere, ut ex hac
 pateat, quàm blasphemum Pontifices Romani tunc exercue-
 rint mercimonium, gravissima permittentes scelera, modò mar-
 supiis consulerent suis. Scilicet advenerant nunc illa tempora,
 quæis meretrici huic Babylonice, Divi Lutheri ministerio, instaret

ruina, hinc ultimam impietatē mentibus persuadere per suas tentabat Cacodæmon, hocque ut eò feliciter promoveret negotium, ipsas rerum sacrarum mystas, ministros, sacrificulos & alios applicabat, quibus ad sacrum illud otium deductis, omnia liberè propagabat scelera. Acriter istam eorum inertiam, hoc ipso jam tempore, increpavit quoque Plebanus Vicarius ad D. Michaëlem, M. Johannes Sorgelius, quod otio tantum & ventri, non Script. Sacræ suos videret deditos, sæpius in hæc erumpens verba: *Ihr müßig-faulen Meß-Pfaffen/habt jetzund S. Paulum mit seinen heilsamen Schriften unter die Bank gesteckt/denket aber an mich/es wird die Zeit bald kommen/das er wieder hervor kriechet/und euch hinunter stecke.* Et hæc Prophetia, cujus etiam B. Joh. Spangenberg. in Præfatione explicationis Epistolæ D. Pauli ad Romanos, non sine Urbis nostræ laude, meminit paulò post impleta, ut adeò vel ex hoc testimonio nauseans Majorum nostrorum ad Pontificias abominaciones satis animus appareat. Id enim absque omni adulationis vanitate dixero, pietatis zelo illis nihil fuisse prius, nihil antiquius, modò quod Papisticarum traditionum nubibus obtekti nescierint, quæ via illam ritè darent conspicuam. In ceteris quoque moribus, multis aliis erant integriores, candidi & veraces, quorum facta non contraveniebant verbis; frugales & sobrii in cibo potuve, illo utentes simplici, moreque veterum Germanorum, ut *TACITUS* habet c. 13. *sine blandimentis famem expellebant*, nec ad convivia quoque effusi, utpote quibus, quod viros attinet, neque baptismalibus institutis cœnis, susceptoribus etiam, interesse liceret, nisi floreni multam vellent incurrere. Circa vestes etiam non tantum pristina emicuit simplicitas, verum etiam constans animi firmitas, quæ omnem levitatem in immutando innovandoque corporis habitu, summopere averfaretur. Loquatur id exemplum memoratu sanè dignissimum, quò cum Anno 1505. bini civium nostratium Filii, illique satis ingenui, ex Helvetia redeuntes, vestitu illius gentis, diversis duobus colo-

ribus, rubei & flavi, se conspici aliquoties passi essent, & non multo post foeda pestis lues, ut in reliqua tota Germania, ita hac quoque Urbe, grassari incoepisset, Curiani nostri, huic immutato vestium luxui illud malum acceptum retulerunt, binosque juvenes eò vi publicà adegerunt, ut publicæ poenitentiae titulò, utriusque tres dies Dominicales proximos, superiori corporis parte denudati, & binas utrisque brachiis tenentes ferulas, ante fores ædis D. Michaëlis, quoad Missa solennior, das hohe Amt / esset celebrata, confisterent, singulis postea transeuntibus, quibus volupe id erat, liberà factà potestate, ut singulis virgarum ictibus illos exciperent, & ita divini Numinis iram placarent. Quod sanè, si aliud quid unquam, arguit, quàm publicæ nostri litarint honestati, omne vel minimum iniquitatis de se præbens specimen execrantes.

Et has ipsas ob virtutes benignissimum Numen dignos eos habuisse censeo, quos non tantum externa bonorum condecoraret gratia, sed & quibus effulgentem Evangelii lucem præ multis aliis prioribus panderet, ut sequentia proxima occasione afferenda, plurimis edocerent.

Hic enim nunc subsistentes ea aggredimur, quorum causa hæc fuimus præfati. Scilicet, suâ suorumque voluntate Musas nostras relicturi quàm proximè sunt tres illarum hætenus Alumni satis industrii, qui, ne præter religionem latamque nostris debitæ pietatis legem id facerent, publicè habitâ solenni Valedictione obæratum testabuntur animum, De Tempore itaque dicturi proximo 16. Martii die, Cathedram confurget

Primus

JOHANNES GEORGIUS DIETERICUS Selbensis, qui in memoriam acerbissimæ Passionis Salvatoris nostri conscriptam Orationem è memoria recitabit Latinam, quâ potiores Passionis actus adumbrabuntur. Sex integros hic nobiscum vixit annos, ex quo è Patrio ludo, Anno 1681. in nostrum transplantatus & laudabilem satis animi obsequiique bonitatem vel eò ipso probavit, quod cum olim studiis abhorrentem eum gereret, dulcedi-

(37)
cedine illorum postea inescatus, δευτερος φρονιδου σοφωτερος
dicto audiens, pristinum horrorem abjecerit. Gratus imposterum
magismagisque asveturus.

Secundus Ordine,

JOHANNES WILHELMUS SUMMA, pariter Selbensis,
Passionis Dominicæ Carmine quodam Germanico exprimet fru-
ctus. Hic cum tergemino annorum decursu Alumnéo nostro
Oppidano fuerit insertus, ejusque beneficii indignus minimè ha-
bitus Decoctor, annis tandem sponsonis suæ ritè expletis, bona nunc
nostrum in Almam Lipsiensem cum priore dimittitur pace. Qui-
bus utrisque se junxit


Tertius.

JOHANNES LAURENTIUS BOLENAEUS / Culm-
bacensis Francus, qui suo suorumque Commilitonum
nomine, tenui licet Oratiuncula, meritisque multum impari, a-
gendas suscepit gratias. Receptus hic in Illustre nostrum, 16.
Octobris 83, & quanquam ager ingenii ejus majori omninò inibi
scientiarum egeret culturam, præpoperatamen Parentis, Cantoris apud
Swarzenbacenses bene meriti, morte, spe sua dejectus, filium Curie
texi inceptum, è re sua judicavit abrumpendum, alios & potenti-
ores studiorum & profectuum cum primis Musicorum, quorum
per biennium cum dimidiò Alumnus Oppidanus specimina de-
dit, anqvirens Promotores; Nec nos ejus commoda remorari
rati, liberaliter illum dimisimus, votis etiam & adhortationibus,
utrorumque indigum comitamur.

Hos igitur tres Valedicturos ut sub proximam Mercurii diem ho-
ramque ejus mat. VIII. audire ne dedignentur **SERENISSIMI**
PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI CLE-
MENTISSIMI Summus Consiliorum Præses, Consiliarius Incimus
Eminentissimus, ac Exarchus Provincialis Curiensis Spectatissimus, Illu-
stris-

strisimus Comes ac Dominus, Dominus JOHANNES ALBERTUS,
 Comes de Ronov & Biberstein, Dominus in Oppurg, Knau Grobiz & G. ü-
 nau, Dominus noster multum Gratosissimus; nec non Viri Maximè-Re-
 verendus ac Pre-Nobilissimus, Dominus JOSEPHUS FRIDERI-
 CUS à WALDECK, in Kulmiz & Dœbra-Stœcken, &c. Pastor Pri-
 marius Curianus & Vicinarum Ecclesiarum Superintendens, Gymnasii item
 Inspector Dignissimus; Cum Reverendo plurimum MINISTERIO;
 Nobilissimi, Excellentissimiq; MEDICI, Physicus Ordinarius & Ad-
 junctus; Consultissimi Domini OFFICIALES; Urbis SENATUS
 Prudentissimus Spectatissimusq; Gymnasii itidem Patronus & Scholarchæ;
 Nec non Honoratissimi Dnn. COLLEGÆ, Præ Eximii ac Clarissimi
 Dnn. STUDIOSI, omnesq; Literarum PATRONI & FAUTORES,
 eâ, qua devinctos nos novimus, humili submissione, devota pietate & a-
 nimo, in singulorum commoda prono, oramus atque ob-
 secramur.





RE

ACTUM

d. XVI

Pientis

M. JO. C

IO

VALE-

endum,

onem,

LAYRIZ,

